

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

September 9, 1994

Translate **ALL** PASSAGES. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. From a fourteenth-century ars memorie.

Pro ordine ymaginum est taliter operandum. Primo, rei de qua memorari volueris constitue tibi ymaginem tantam et talem ut dictum est, quam ponas in principio primi loci. Constitueque si possis ymagini dextram et sinistram; ymaginemque secundam ad dextram prime pone, ita quod ymago prime dextra ymaginem secundam teneat, trahat, percutiat vel circa ipsam aliquid huiusmodi operetur, vel secunda econtra se habeat ad primam, ita quod operatio sit quasi quedam colligatio ordinis inter illas. Et hic inter omnes ymagines in eodem convenienter additas observetur. Ponesque si possis tertiam quasi equitantem circa secundam vel circa ipsam aliquid aliud facientem, tertieque quartam adiunge, si potes, et sinistre parti ymaginis trade quintam, et quinte sextam, si possis. Si vero nolis tot ymagines in uno loco congerere, pone primam ymaginem ut est dictum, secundam vero ad eius dextram et tertiam ad sinistram, et transiens ad secundum locum in ipso et in quocumque sequentium quot libuerit ymagines collocabis.

2. Walter Map trashes the Cistercians.

Item cum rex in abbatia quadam ordinis ejusdem opima, borealibus Angliae finibus, hospitatus quando fuisset, et abbas in crastino priusquam rex discederet, quem per singulas aedes et officinas sumptuose satis et artificiose constructas, ad intuendum et contemplandum deduxisset, tandem ad capitulum veniens, ait: "Domine, locus est hic locorum omnium quem amplius odio diabolus habet, quoniam errata corriguntur hic, peccata puniuntur; hic exorbitantes ad viam veritatis atque salutis reducuntur; propter quod et animae, quas meritis suis exigentibus malis ille malignus sibi lucratas esse putaverat, hic ei per confessionem et poenitentiam Deo reconciliatae denuo subtrahuntur." Rex autem his auditis, cum in archidiaconum, qui presens ibi cum ipso tunc erat, oculos respiciendo converteret, "Nec mirum," inquit ipse, "si locum hunc prae caeteris locis omnibus magis exosum habet perniciosus ille suggestor, multotiens enim in eo vapulant amici sui boni."

3. Catherine of Alexandria slugs it out with a philosopher.

"Iure," refert uirgo, "feci sermonis ab ipso
Principium, qui cunctarum fons metaque rerum."
Tunc quem pre cunctis facunde gratia lingue
Extulit, insignem celebrat quem contio tota,
Quidam uerborum iaculatur spicula rethor:
"Dicite, Xpisticole, deus est si Xpistus homoque:
Quomodo qui deus est, moritur, qui prima probatur
Vita, fluens uitam cunctis uiuentibus, in se
Fons indeficiens eternaue copia uite?
Aut si mortuus est homo: cum priuatio numquam
Destructum repetat habitum, de morte resurgens
Quomodo iure suo mortem spoliando reuixit?"

Martyr ad hec: "Video, quorsum uersutia uestra
Tendat, ut accepta dissoluere parte uelitis,
Quod solidum natura iubet pietasque teneri
Catholice fidei."

4. Prologue to a commentary on Boethius De trinitate.

Libros questionum Anicii, quos exhortationibus precibusque multorum suscepimus explanandos, altissimos rerum de quibus in eis agitur temate, obscurissimos earundem rerum subtilitate, probatissimos tamen operis absolute cognitione cognouimus. Quid enim altius infinito? Quid ineffabili inscrutabilique subtilius? Quid autem probabilius eo quod, cum inexpugnabilibus rationibus constet, summis tamen ac celeberrimis auctoribus nititur?

Deus enim, de quo his agitur libris, magnitudine interminabilis, contemplatione incomprehensibilis, sermone inexplicabilis recte intelligitur ac laudabiliter predicatur. Cuius tamen quedam archana antiqui uidentes, ipso inspirante, intellexerunt et tam rerum quam uerborum figurationibus uariis sui temporis rudibus insinuauerunt.

Posterius uero, aliter quidem sed eodem sensu locuti, illarum enigmata figurationum consultissimis interpretationibus declarauerunt et non modo auctoritate sua uerum etiam rationibus--quas uel theologicæ maiestatis sibi proprias uendicat uel humane philosophiæ ad ipsam qualiscumque proportio communes admittit--confirmauerunt.